DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRIS CONTINUÆ CURATIONE.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

FEBRIS CONTINUÆ CURATIONE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS MIDDLETON,

ANGLUS.

SOCIET. REG. MEDIC. EDIN. SOC. ORD.

" *Non domus, et fundus, non æris acervus et auri,*
" *Ægroto domini deduxit corpore febres.*" HORAT.

OCTAVO KALENDAS JULII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ROBERTUM ALLAN.

MDCCCII.

PATRUO DILECTISSIMO,

JOSEPHO SUTTON,

ARMIGERO;

CHIRURGO

PERITO EXERCITATOQUE;

QUI

AMORE PATERNO

ET AMICITIA

EUM SEMPER

PROSECUTUS EST;

HANC DISPUTATIONEM,

GRATI ANIMI

MONUMENTUM,

D. D. CQUE

EDVARDUS MIDDLETON.

ROBERTO WARREN DARWIN,

M. D. & S. R. S.

INGENIO ET MORUM ELEGANTIA,

PARITER ATQUE

MEDICINÆ PERITIA,

ILLUSTRI,

HOC

OBSERVANTIÆ

PRÆTENUE TESTIMONIUM

LITERIS

CONSIGNAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRIS CONTINUÆ CURATIONE.

EDVARDO MIDDLETON Auctore.

PROŒMIUM.

I. INVENTUM potens morborum præsidium, aut novam atque efficacem curationem, plùs ad medicinam amplificandam conducere, quàm novam opinationem, inter omnes convenit, qui rationalem medicinam profitentur.

 II. Quan-

II. Quanquam mihi non contigit aliquid hujusmodi novi invenisse, ausus tamen sum tritâ viâ decedere, atque, febris signis et causis omissis, de curatione tantùm scribere.

III. Adeò frequens febris est ac lethalis, ut, ex quo tempore medici morborum studiosi fuerunt, signa describere, causasque investigare, conati sint. Signa ab auctoribus perdudùm fusè narrata sunt, atque, nostrâ ætate, satìs cognoscuntur; sed, quid sit causa, quæ febrem continet, et quâ certissimè ratione hæc curetur, nondùm satìs constat.

IV. Hinc inductus sum, ut medicamenta et remedia colligerem, quæ approbaverit usus, et præsertìm considerarem, quanta nupèr auxilia à lavatione frigida febrientes acceperint.

V. Non mihi consilium est conjectare, quemadmodùm causæ febrem efficiant, nedum quemadmodùm

admodùm proficiant medicamenta et remedia; eòque minùs, quòd cum CELSO consentio, "has latentium rerum conjecturas ad rem non "pertinere, quia non intersit, quid morbum "faciat, sed quid tollat *."

VI. Febris, de cujus curatione hìc agitur, continua est, quæ à *nosologis TYPHUS* appellatur vel *SYNOCHUS*, quæque, præ cæteris febribus, nostrates afficit.

VII. Hanc rem persequendo, nobis in animo est considerare, primùm, quemadmodùm incipiens febris præcidatur; deinde, quibus opituletur progredienti; tùm, quibus leventur mala, quæ miserum moriturum perurgeant; denique, quâ efficacissimè ratione præcaveatur, ne quem febris invadat.

* Vid. CELS. *De Medicin.* Præfat.

PARS PRIMA.

DE

FEBRE CONTINUA PRÆCIDENDA.

VIII. SUNT, qui censeant, continuam febrem ducere originem ex debilitate, quâ aptum redditur corpus, quod tabo pestilente inquinetur. Confitendum verò est, simul ut febris propriâ naturâ sese manifestet, signa alia, atque ea, quæ meram debilitatem indicant, sese ostendere, neque, in periculosis *typhis*, satìs esse debilitati obviàm ire.

IX. Quum autem non mihi consilium sit, omnes de febris causis opiniones discutere, ad unam tantùm à FORDYCIO * prolatam, atque cùm

* Vid. FORDYC. *Dissertat. on Fever*, p. 34.

cùm à CURREIO * confirmatam, tum à DARVINO †, animum advertam.

x. Febris, utì contendunt hi auctores, uno quasi ictu seu impetu excitatur, atque vigescit excitata, etiamsi non diutiùs admoveatur causa; neque, enimvero, manente causâ, intenditur aut variatur.

xi. Hæc opinio, quippè cùm ab auctoribus gravibus, et morborum rerum studiosissimis, prolata sit, si non, per omnia, ad fidem apta putetur, at veri tamen simillima est, et digna, quæ in memoria teneatur; eòque magis, quòd suggerit, quomodò res anteà obscuræ explicentur.

xii. Si enim, pro vera, habetur hæc opinio, constat, febres, quâcunque causâ oriantur, brevi

* Vid. CURREI.

† Vid. DARVIN. *Zoonom.*

brevi in consuetudinem abire, quâ crescant et protrahantur, neque priùs declinare aut desinere, quàm hæc interrupta sit. Quinetiam, hac opinione acceptâ, patet, quomodò medicamenta quædam febribus nascentibus finem ponant: quippè verisimillimum est, illa modo incognito disrumpere consuetudinem, sine quâ, hæ protrahi nequeunt.

XIII. Nunc de efficacissimis remediis, quibus præcidantur febres, dicendum est, et in primis de vomitione.

CAP. I.

DE

VOMITIONE.

XIV. VOMITORIA, quæ ad nascentem febrem interrumpendam dari solent, sunt præparata ex stibio et *ipecacuanâ*. Hæc medicamenta subindè assumenda ab ægro sunt, donec vomitum compluries et satìs acriter moverint. Quò respondeant, optimum est ea assumere, mox ante accessionem vespertinam. Adhibeantur tamen quolibet diei tempore, modò accessiones parùm insignes sint, aut notabiles.

XV. Maximi momenti est, quò sistantur continuæ febres, idoneis medicamentis et remediis quamprimum succurrere; eòque magis, quòd, utì putant plerique scriptores, post tres ab adversæ valetudinis initio dies, morbida consuetùdo adeò valet,

valet, ut medicinâ vix, imò plerumquè ne vix quidem, disrumpi possit.

XVI. Multùm sanè dolendum est, medicos non priùs à febrientibus advocari, quàm morbus jam aliquantùm processit, vel saltem se confirmavit. Veruntamen, etiam omissâ occasione, assumenda sunt vomitoria; quæ, etiam si febrem non sistant, plurimùm tamen prosint, non modò stomachum pariter atque alvum vacuefaciendo, verùm sanguinem quoque distribuendo in corpus æqualiter totum: quo fit, ut summæ cutis halitus eliciatur, nimiusque sedetur corporis calor.

CAP. II.

DE

LAVATIONE FRIGIDA.

XVII. Quò compescatur febris vis, quæcunque corpus irritant aut stimulant, veluti lux, sonitus, calor et motus, quàm possunt maximè vitanda sunt. Atque, utì nihil corpus, præsertìm febre affectum, ideoque apprimè aptum quod irritetur, æquè incitat, ac calor, ità febrienti nihil plùs opitulatur, quàm cauta et modica refrigeratio *.

XVIII. Ineunte febre, optimum est, ut comperit CURREIUS, corpus nudatum aquà frigidâ subitò perfundere. Febre enim etiamnum novâ,

* Vid. CURR.
Aud. GREGOR. Prælect. *De Medicin. Practic.*

vâ, aqua frigida, corpori tempestivè affusa, graviora mala mitigat, neque, enimvero, rarò solvit morbum. Atque, etiam postquàm inveteravit, semper prodest corporis calorem temperando, molestosque sedando sensus. Sed, in re tanta, auctorem ipsum, pro me, ponam.

XIX. "In the first stages of fever, it ap-
"pears very generally to cut short the disease
"almost instantaneously; and, even when it
"fails of this effect, as is usual when it is ap-
"plied in the more advanced stages, it never-
"theless moderates the violence of the symp-
"toms, and shortens the duration of the fe-
"ver."

XX. Perfusioni forsitan objiciatur, parùm iis convenire, qui naturâ corporibus debiles et delicatiores sunt; qui â morbis nondùm revaluerunt; quive *catarrho*, pulmonum morbis, aut alvi proluvie urgentur.

XXI. Hu-

XXI. Hujusmodi ægris fortassè melius erit aquam tepidam affundere. Hoc remedium, etiamsi minùs, quàm aqua frigida, valeat, at interdùm tamen febris gradum sistere potest, certèque cæteris præpollet remediis, quæ nihil præterquàm morbum levant.

XXII. Metus, ne febrientes ab aqua frigida affusa detrimentum capiant, videtur ex præjudicatis opinionibus ortus; cùm præsertìm vel iis mortalibus proficiat, utì nuper compertum est, qui *scarlatinâ* laborant, quorumque summa cutis ex inflammatione papulis efflorescit.

XXIII. Vix igitur dubium est, quin, omni tempore, *typho* ægris aquam frigidam cautè affundere consideratèque, efficax sit tutumque remedium. Cæteris itaque remediis, quoniam cùm approbat ratio, tum comprobant experimenta, CURREIUS, GREGORIUS, aliique medici haud pauci, omnes ex ingenio clari et nobiles, anteponunt.

CAP. III.

DE

SANGUINIS DETRACTIONE.

XXIV. Haud ità pridèm commune omnium medicorum erat, curare sanguinem ex iis, qui febribus continuis laborabant, detrahendum. Nec vero absimile est, inductos esse, ut ità facerent, observato fortè commodo, quod de sanguinis è naribus, aliisve partibus profusione, febrientes acceperunt. Mos hinc natus, usu, tempore, at falsâ maximè ratione invaluit; in iis præsertìm gentibus, ubì medici, Boerhaavio duce, putabant, febres è morbido quodam sanguinis habitu, seu lentore, oriri.

XXV. Sanguis verò, ut observavit Fordycius, quâlibet cujusvis corporis partis venâ ampliore inconsideratè missus, dum continuam febrem

brem neque intendit neque sistit neque mitigat, ægro multimodìs nocet *. Tanta enim supervenit debilitas, ut haùd rarò æger morti priùs succumbat, quàm febris solitum temporis spatium implevit; vel, si mortem evaserit, aut revalescat tardissimè, aut aquâ intercute intumescat.

XXVI. Verùm interdum tamen, ubi in capite, aliisve partibus vitalibus, sanguis, supra modum, cumulatur, ex ipsis partibus, vel certè quàm proximis sanguinem hirudinibus emittere opus est. Priùs verò, quàm præcipit medicus, ut sanguis eliciatur, debet attento animo considerare, quâ corporis constitutione æger sit, quo habitu, quâ ætate; itèmque pernoscere, quæ sit indoles grassantis morbi: atque, his cognitis, judicare, detrahendus, necne, sanguis; et quantum vis morbi postulet detrahendum, quantum ægri vires pati posse videantur.

XXVII. Nostrâ

* Vid. FORDYC. *4th Dissertat. on Fever,* pag. 11.

XXVII. Nostrâ ætate, sanguis, initio febris, rarissimè detrahitur; neque tùnc quidem, nisi cautissimè. At quoties tamen signa haùd dubia indicant, partes quasdam nimio sanguine impleri, aut inflammatione affici, sanguinem elicere non utile modò est, verùm et necessarium; ut possumus ex SYDENHAMI, PRINGELII, et RUSHII scriptis colligere.

CAP.

CAP. IV.

DE

PURGATIONE.

XXVIII. FEBREM incipientem diarrhœa, sponte oriens, sæpè discutit. Verùm raró tamen medici, alvo catharticis purgatâ, discutere conantur, quamvis intei omnes cenveniat, quantùm prosit, alvum, quoties opus, laxare.

XXIX. CULLENUS opinatione quâdam, utì videtur, inductus est, ut catharticis alvum purgando abstineret. Vix tamen dubium est, quin, quoties in ægris sanguine, supra modum, impletis, caput et pulmones sanguine nimìs opplentur, et aut inflammationem ceperunt, aut propè sunt ut capiant, hujusmodi medicamenta multùm prosint. Non solùm enim omnibus irritantibus alvum

vum expurgant, et faciunt, ut in corpus æqualiter totum diffundatur sanguis; sed etiam, modò alvum acritèr moveant, totum corpus sic afficiunt, ut febris vis diminuatur.

XXX. In memoria autem tenendum est, quò diutiùs febris continuavit, et quò magìs debilitatus est æger, eò minùs convenire purgationem, eò minùs proficere. Ubì febris inveteravit, cathartica certè non assumenda sunt; quippè cùm, ut verissimè contendit Fordycius, dissipando vires, si quæ supersunt, et sic ægrum infirmando, multùm noceant.

XXXI. Verùm cathartica tamen febrientibus multùm prodesse, dummodò consideratè adhibeantur, contendunt medici haùd pauci, probi et exercitati, in primis autem Rushius. Res enim, quas literis mandavit hic auctor, probant, cathartica non solùm febre implicitis mul-

tùm

tùm opitulari, sed etiam ægris, qui aliis quibusdam morbis pestilentibus laborant, cæteris medicamentis præposse.

XXXII. Anno, post CHRISTUM natum, millesimo octingentesimo, apud milites, qui PLYMUTHÆ disponebantur, incepit febris pestilens, cui parùm opitulabantur vomitoria, nisi vomitum simul et alvum moverent. Hoc comperti, chirurgi militares adducti sunt, ut, post vomitoria, assumenda semper curarent cathartica, quæ alvum acritèr purgitarent. Tali curatione febris, licèt continua esset, atque inflammationem haberet, haùd raró finiebatur.

XXXIII. His cognitis, et inter se comparatis, concludere licet, initio continuarum febrium, modò ægri juvenes sint, validi et pleni, atque signa inflammationis sese manifestent, purgationem tutum esse et efficax remedium.

XXXIV. Cathartica, quæ, hunc in finem, primas tenent, sunt *jalapa*, *murias hydrargyri dulcis*, radix Pontica, et *sales* quidam *secundarii*. De his autem seorsùm et fusè dicere non opus videtur.

PARS

PARS SECUNDA.

DE

MEDICAMENTIS ET REMEDIIS, QUIBUS PROCEDENTI FEBRI SUBVENIATUR.

XXXV. DICTIS medicamentis et remediis, quibus medici aggrediuntur incipientem febrem interrumpere; proximum est, ut exponamus, quibus febrienti succurratur, modò hæc, ut interdum, parùm respondeant.

CAP. I.

DE

CINCHONÆ CORTICE.

XXXVI. CÆTERIS medicamentis, quibus medici conantur febres discutere, præpollet *cinchonæ* cortex. Quantùm ad febres intermittentes curandas possit, satis inter omnes constat. Non verò æquè efficax est, contra febres continuas. At vel has tamen etiamnum incipientes nonnunquàm percurare, multi probi auctores, utì à CLARKIO, aliisque accipimus, periculo comperti sunt. Nostrâ autem ætate, ejus vim has percurandi minùs, quàm olim, famâ ac literis concelebrant medici, eumque, hunc in finem, raró præscribunt.

XXXVII. Hoc medicamentum, utì periculis comprobavit HOMIUS, his *typho* affectis proficit, illis

illis nocet, prout res morbi aliæ urgeant, atque aliæ *. Complura, de ejus usu, cognitu utilissima, nos monent CULLENUS †, HOMIUS, CLARKIUS, et alii, qui tam experientiâ quàm studio medicinam percalluerunt. Convenit inter eos, a cortice *cinchonæ* abstinendum esse, quoties urgeat spirandi difficultas; aut sit, quamobrèm credatur, musculosas cordis arteriarumque fibras justò aptiores esse, quæ sese contrahant, et corpus ejusve partes inflammationi opportunas reddant. Contrà, tutum, ut inter plerosque auctores consentitur, valensque præsidium *cinchonæ* cortex est, ubì totum corpus insudat, et musculi tremiscunt, neque urget sitis.

XXXVIII. Quò hic cortex respondeat, contritus in pulverem, et magnâ copiâ, assumi debet §. Præparata tamen ex eo quædam, nempè

* Vid. HOM. *Clinic. Exper. and Hist.* pag. 19.

† Vid. CULLEN. *First Lines*, § CCXXXIV.

§ Vid. CULLEN. *First Lines*, § CCXI.

pè aqua decocta ex eo, aut aqua frigida in qua maceratus idem sit, semper tutò præscribantur, etiamsi nihil præterquàm ægro ostendant, quantâ curâ ejus valetudini medici consulant.

XXXIX. Commodissimum est *cinchonæ* corticem cum vino aut lacte assumere; et, si stomacho alienus sit, aut alvum moveat, oportet singulis dosibus paucas *opii tincturæ* guttas admiscere.

CAP. II.

DE

REFRIGERATIONE.

XL. NIHIL *typho* affectos magis vexat, quàm æstus, quem in corpore accendit vis morbi, quemque, reclamante medico, haud raro inflammat domestica curatio. Quemadmodùm vis æstûs temperetur, natura ipsa, nullo monente, ostendit. Ægri enim, naturâ flagitante, frigidam subindè aquam expetunt, acidulasve potiones, quibus importunam sitim expleant; corporaque quàm possunt maximè nudant, quò æstuantes intùs fervores resedent.

XLI. Ne febrientes nimìs æstuent, cubicula, ubì lectis tenentur, debent spatiosa esse, atque, per apertas fenestras aut fores, liberum habere perflatum.

perflatum. Nonnunquàm, sudo cœlo tepidoque zephyro invitantibus, oportet ægros foràs efferre, quò salubribus auris vescantur, optatoque recreentur frigore. Tantumque hinc commodum accipiunt, ut nonnulli medicorum contendant, planitiem patentem, aut compascuum agrum, locum maximè idoneum esse, ubì decumbant.

XLII. Ubì non penes medicos est, ut febrientes sic refrigerent, debent summâ ope niti, ut aliâ ratione temperent corporis fervores. Hoc consilio, ductilia lecti vela submovenda sunt; atque cubiculi substratum et parietes, itemque supellex, aceto suffienda; aut, ut MORVEAUVIO placet, vaporibus *acidi muriatici*; aut vaporibus nitrosis, ex dissociatis constituentibus *nitratis potassæ* partibus, paratis, utì mavult CARMICHAEL SMYTHIUS.

XLIII. Nihil verò æquè ad calorem febrientium

entium temperandum pollet, ac aqua frigida corporibus affusa; quæ sanè refrigerat, pariter atque voluptate sensum permulcet. Protractis tamen febribus, hoc remedio cautè uti oportet ægros, ne hinc detrimentum capiant, ejusque famam obscurent.

XLIV. Ne febre ægroti à perfusione aquâ frigidâ quid mali accipiant, oportet medicos, ministro *thermometro*, percognoscere, quantus sit corporis calor. Tùm enim solùm, utì compertus CURREIUS est, respondet, "When "there is no sense of chilliness present; when "the heat of the surface is steadily above "what is natural; and, when there is no ge-"neral or profuse perspiration."

XLV. Alio verò modo plerique medicorum frigidam aquam utendam curare solent. Præcipiunt enim iis, qui jussa ministrant, ut succidâ spongiâ ægrorum corpora aquâ frigidâ cum a-

ceto perluant, atque hujusmodi ablutionem *FRIGIDAM LAVATIONEM* appellant. Corpus sic perluere minùs certè valet, quàm frigidam ei aquam affundere ; sed utile tamen auxilium est, neque tanto ægros, iisque assidentes, horrore percutit.

XLVI. Ubì corpus magnam odoris fœditatem exhalat, et maculis, quas *PETECHIAS* appellant medici, decoloratur, utilissimum sanè est ei frigidam aquam affundere ; cùm præsertìm, contra has maculas, undecunque oriantur, efficacissimum frigus sit remedium *.

XLVII. Quàm utile sit et tutum, febrientium corpora sic frigidâ aquâ perluere, aut perfundere, ratione pariter atque experientiâ constat. In VALETUDINARIO EDINBURGENO, febre implicita, medicorum jussu, plerumque bis quotidie terve

* Aud. GREGOR. Prælect. *De Medicin. Practic.*

terve sic refrigerantur, et maximam hinc utilitatem percipiunt.

XLVIII. Medici igitur, periculis comperti quantùm possit frigus, uno ore consentiunt, nullum potentius esse remedium, quo gravioribus malis, quibus urgentur continuis febribus impliciti, subveniatur.

CAP. III.

DE

OPIO.

XLIX. Opium, utpotè quod corpus stimulet, *typho* laborantibus affatìm assumendum curare, medici haud ità pridèm solebant. Hodiè verò fama ejus alio medicamento obscuratur, quod, dum corpus diutiùs incitat, paucioribus id malis afficit.

L. Nostris temporibus, opium tùm maximè *typho* implicitis datur, ubì vires subitò fatiscunt, neque ægri, quantum vini requirat morbi vis, possunt assumere. Nonnunquàm etiam præscribitur, hac febre laborantibus ut somnum conciliet; sed haud rarò, seu medici inconside-

rantiâ

rantiâ, seu ministrorum incuriâ, seu quâdam ægrorum corporum proprietate, calorem intendit, inquietudinem auget; facitque, ut quies aut ægros fugiat, aut terrificis subindè imaginibus perturbetur.

LI. Corpore perfervido, persiccâ cute, dolente capite, facie sanguine suffusâ, atque urgente siti, opium, ut comperti sunt medici, *typho* ægris multùm nocet. Multùm verò prodest, ubì, summâ cute aquâ frigidâ perlutâ aut perfusâ, morbida vis caloris temperata sit.

CAP.

CAP. IV.

DE

VINO.

LII. Dum urget *typhus*, opus est, ut operam dent medici, ne vires fatiscant et emoriantur. Debent igitur præcipere assidentibus, ut ægris idoneum subindè nutritum, et aromatica, parvâ copiâ ministrent, simulque parcâ haud manu vinum. Vinum tùm maximè requiritur, ubì vires multùm languerunt; ubì arteriarum pulsus sunt imbecilles, molles, et frequentissimi; ubì, viribus delabentibus, ultima corporis infirmitas est. Permittendum autem ægris est, ut benè dicit Gregorius, ut pauxillum vini paulò antè assumere incipiant, quàm signa debilitatis sese manifestent *.

LIII. Quan-

* Aud. Gregor. Prælect. *De Medicin. Practic.*

LIII. Quantum vini unus ægrorum quisque assumat, definire non possumus. Considerandum est, quâ quisque constitutione sit; quæ fuerit consuetudo, et ratio vitæ; et, quo eum modo assumptum jam vinum affecerit: et, ex horum notitia, judicandum, quantum, in posterum, assumere liceat.

LIV. Quibus ægros quantisque commodis vinum afficiat, MOOREUS disertè sanè et elegantèr descripsit; neque ullus medicorum est, quin satìs cognoscat.

LV. In valetudinariis, siquandò plures sint ægri, quàm quibus vinum suppeditari possit, substituatur cerevisia meracissima *Londiniensis*, cerevisia meracior, aut liquores distillati multâ aquâ diluti; quæ, etiamsi vino posthabeantur, tamen, vino negato aut deducto, potentissima auxilia sunt, quibus fugientibus ægrorum viribus subsidiatur.

CAP.

CAP. V.

DE

ACIDIS.

LVI. MEDICI, omni ævo, febribus continuis laborantibus acida præscribere solebant, quò calorem temperarent, et sitim explerent; duntaxàt autem ea, quæ ex terrâ nata suggerebant, et parvâ quidem quantitate. Nuperrimè verò etiam acida, quæ ex fossilibus parantur, febrientibus, necne, prodessent, medici experti sunt; neque experimentum spem fefellit. Hæc enim acida, utì compertus est REICKIUS, maximè *muriaticum*, cæteris medicamentis præpollent, quibus febribus, quantacunque sit harum vis, et qualiscunque signorum concursus, opituletur.

LVII. REIC-

LVII. REICKIUS, enimvero, non solùm novarum opinionum cupidus videtur, sed et novarum morbis medendi rationum curiosus: at, cùm veri observantissimus simul studiosissimusque appareat, et, *chymiâ* duce, exponat, quemadmodùm hæc acida prosint; medicorum est novis periculis comprobare, vera, necne, opinio sit, bona, necne, morborum curatio.

LVIII. Intereà autem debemus *acidum muriaticum* præscribere; confisi cùm REICKII experientiâ, tum eâ nostratis GULIELMI FORDYCII, qui, viginti septem abhinc annos *, commendare solebat.

LIX. *Potus acidus vegetabilis* ab omnibus ferè febrientibus, in nostris regionibus, assumitur, et plerumquè respondet assumptus.

* Vid. PARR. *Appendix to the Translation of* REICK's *New Inquiry into the Causes*, &c. *of Putrid and Inflammatory Fever.*

CAP. VI.

DE

STIBIO ET DILUENTIBUS.

LX. Haud ità pridèm, commune omnium fere medicorum erat, febribus continuis succurrere præparatis quibusdam ex stibio, et diluentibus. Nostrâ verò ætate, hæc à plerisque medicorum frigori, potentiori sanè remedio et efficaciori, posthabentur.

LXI. In memoria tenendum est, alias vires præparata ex stibio possidere, alias diluentia; atque, dum illa dantur, ut sudorem moveant, hæc dari, ut sedent sitim.

LXII. Præparata ex stibio, quæ febrientibus

bus ministrari solent, sunt *tartris potassæ stibiatus*, et *Jacobi pulvis* ; de propriis utriusque virtutibus, fusè dicit FORDYCIUS *.

LXIII. Ex diluentibus nullum est, quod cupidiùs expetunt febribus impliciti, quàm aquam frigidam, aut quod iis jucundius est. Serum quoque butyri, et cerevisia tenuis quæ lupulis maceratis sat habet amaritudinis, idonea diluentia sunt, quæ sitim expleant. *Typhus mitior*, quæ consistit jam aut inclinat, solis plerumquè diluentibus, modò simul cubiculum, ubì decumbit æger, spatiosum sit, perflatumque habeat, optatò perducitur ad sanitatem.

LXIV. Præter medicamenta, quæ memoravimus, fortassè et alia sunt, quibus urgenti febri succurratur ; hydrargyrus, scilicet, qui, ut à CHISHOLMIO accipimus, contra malignas IN-

* Vid. FORDYC. 3*d Dissertat. on Fever*.

DIÆ OCCIDENTALIS febres, plurimùm pollet. Hæc verò, quippe cùm nostris regionibus rarissimè adhibeantur, silentio, de industria, præterivimus.

PARS

PARS TERTIA.

DE

SIGNIS GRAVIORIBUS LEVANDIS.

LXV. NUNC ad eam rei nostræ partem pervenimus, in qua quærendum est, quibus medicamentis leventur graviora signa, ubì, medicamentis jam dictis neglectis, aut neutiquàm valentibus, morbus omnem ferè spem salutis destituit.

LXVI. Ne quis autem, dum manet vita, temerè desperet, propter ignaviam aut diffidentiam, ægrorum saluti, desistatque conando morti eos eripere. Hoc enim, ut inhumanissimum esset, ità turpissimum. Nonnunquàm vel deplorati

plorati, desperatissimis rebus, laudandâ nec remissâ medici perseverantiâ, præter spem, revaluerunt. Et, etiamsi non penes medicum sit conservare vitam, at potest tamen mala, quæ urgent, mitigare, facilemque reddere exitum.

LXVII. Mala, quæ medicorum est levare, sunt diarrhœa, vomitus, delirium, *ischuria*, atque *petechiæ* quæ, in summa cute, oriuntur. Hæc idonea medicamenta aut remedia, sua quidque, postulant.

LXVIII. Optima medicamenta, quibus temperari possit diarrhœa, sunt opium, simulque absorbentia nonnulla, aut astringentia.

LXIX. Pacandus vomitus est *citrate potassæ*, dum effervescit, devorato, itemque acidis mitioribus, et vino.

LXX. Quò sedetur delirium, oportet caput,

ad

ad cutem tonsum, exulcerare, aut tempora, aut humerorum interstitium. Eundem in finem, utile est, contritis sinapis seminibus, aliisve quibuspiam ejusdem generis, pedes rubefacere. Quinetiam, eodem consilio, tepidarium, cum fructu, adhibeatur *.

LXXI. Haud raro, provectâ febre, tanta sensuum tarditas seu torpor est, ut æger non diutiùs excitetur ad urinam reddendam. Urinâ retentâ vesica brevi sic, supra modum, distenditur, ut fiat sese posteà contrahendi impotens; atque urina, per vasa absorbentia in sanguinem recepta, soporem inducat, sensuum stuporem, pupillarum amplificationem, et, ne multis, cætera *apoplexiae* signa.

LXXII. Medicus igitur debet percunctari, numne urinam ritè reddat æger, et providere, ne reddendi fiat impotens. Ne hoc accidat malum,

* Vid. PERCIVAL. *Essays*.

lum, ægro assidentes monendi sunt, ut, statutis temporibus, ei persuadeant ut urinam faciat. Quòd si, præ delirio, persuaderi non potest, assidentes debent, idoneis temporibus interpositis, pubi aquam frigidam affundere. Sin ne hoc quidem respondet, medici est *catheterem*, sine mora, in vesicam demittendum, et urinam educendam curare.

LXXIII. Quò *petechiae* præcaveantur, aut præsentes sanentur, opus est, cum idoneis medicamentis, tum intromisso in cubiculum aëre, corporis calorem temperare; stragula, cæteraque vestimenta quotidie novare; atque nunquàm non, per omnia, maximam munditiæ habere rationem.

LXXIV. Ubì fuerunt vires, fuit spes, fuerunt omnia quæ animum consolantur, medici est interdicere, ne assidentes lugubri vultu moriturum inutili metu terreant; neve miserantes

amici

amici fletu, ploratu, aut vanâ nunc sedulitate, vitam præcidant, quam medicina nescit conservare, nequit producere.

LXXV. Imò etiam, ubì miser supinus cubat, genibus contractis; ubì deorsùm ad pedes subindè delabitur; ubì brachia, atque crura nudat, et inæqualitèr dispergit, neque iis calor subest; ubì hiat; ubì devorare salivam suam non potest; ubì gutture anima sonat; et, ne multis, ubì omnia, venisse summam diem, et ineluctabile tempus, testantur, atque in propinquo esse mortem: medicus debet, haud secùs atque amici, summam dare operam, ut æger cubet optatò positus; ut neque lux oculos irritet, neque strepitus aut sonitus aures; simulque providere, ne propè sint ulla, præterquàm quæ, sensum permulcendo, animumque tranquillando pariter ac corpus, placidam quietem concilient.

LXXVI. Hanc rei nostræ partem concludemus, FERRIARIS verbis: "When the approach "of death" inquit hic medicus præclarus, "is ascertained, either from the symptoms of "the disease or the patient's own feelings, the "friendly offices of the physician are not less "grateful to the sick, than satisfactory to the "surrounding relations *."

PARS

* Vid. FERRIAR. *Med. Hist. & Reflect.* Vol. III. p. 193.

PARS QUARTA.

DE

CONTINUA FEBRE PRÆCAVENDA.

LXXVII. CÆTERIS rei propositæ partibus, pro virili, absolutis, paucis nunc exponendum est, quâ certissimè ratione febris continua præcaveatur.

LXXVIII. Cavendum sanis est, ne contactu febrientium, aut inquinati aëris vestimentorumve, tabo pestifero impleantur. Simul, ne morbo opportuni sint, debent quàm maximè vitare omnia, quibus corpora debilitentur; atque modicâ exercitatione uti, valenteque diætâ, quæ bonam confirment valetudinem. Eundem in finem, dum munditiarum, per omnia, sunt studiosi, non debent sinere animum socordiâ tor-

 pescere,

pescere, sed, aliquo negotio intenti, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærere.

LXXIX. Quinetiam, ne febres contagione, aut ministeriis in vicem, aut assidendo ipsâque curatione vulgentur, cubicula, ubì decumbunt ægri, debent, intromisso per apertas fenestras aëre, quàm sæpissimè purificari; atque, primùm ut convalescentes ex his summoveri possint, suffiri nitrosis vaporibus. Parietes quoque gypso illinere oportet; atque omnia vestimenta, tam lintea quàm lanea, quamprimum lavare, supellectilemque detergere.

CON-

CONCLUSIO.

LXXX. PRÆTER medicamenta et remedia, quæ memoravimus, alia haud pauca in scriptis medicorum recensentur, quæ, utì dicitur, *typho* implicitis multùm prosunt. Sed, cùm, in hoc opusculo, neutiquàm nobis consilium esset omnia enumerare, nedum fusè exponere, quibus *typho* subventum sit, sed efficacissima tantùm, ut quæque notatu dignissima videbantur, persequi; silentio complura, ex consulto, præterivimus, quæ nonnunquàm utilia esse, experientia medicorum comprobavit.

LXXXI. Curatio, quam exposuimus et exsecuti sumus, ea est, quæ, in nostris regionibus, optima putatur, quamque peritissimi medici exercitatissimique approbant. Nunquidnam in ea novari

novari aut variari debeat, et nunquandò, solers et sagax medicus uno intuitu discernet, considerando, quâ constitutione æger sit, quæ consuetudo fuerit et ratio vitæ, et qualis sit indoles febris grassantis.

LXXXII. Utì nihil proposuimus, quod non sit plerumquè efficax ad continuas febres curandas, levandas, arcendasve; ità nihil memoravimus, quin ægris tutum sit, et dignum, quod medici experiantur.

F I N I S.